

& diligenter advertens Illustrum Principem Dominum Marchionem Montisferrati pro Castelletto Civitatis Aquis, & quibusdam aliis rebus fore antiquissime vassallum Aquensis Ecclesie, volens prædecessorum suorum in Aquensi Ecclesia vestigia sequi per se & suos successores vice, & nomine dictæ Aquensis Ecclesie investivit, cum uno annulo aureo, quem ipse Dominus Electus in manu sua tenebat, Illustrum virum Dominum Johannem Marchionem Montisferrati, præsentem, & recipientem <sup>10</sup> de dicto Castelletto de Aquis, & generaliter de omnibus, & singulis, de quibus ipse Dominus Marchio, vel ejus antecessores fuit, vel eum fuisse investitum apparuit ab Aquensi Ecclesia suprascripta tali modo, quod ipse Dominus Marchio dictum Castelletum & communia alia, quæ solet tenere in feudum a dicta Aquensi Ecclesia, ut supra de cetero in perpetuum habeat, teneat, & possideat, & suum velle faciat, salvo debito fidelitatis juramento, qua quidem investitura facta, prædictus D. Marchio per se, & suos <sup>20</sup> successores promisit, & convenit dicto D. electo pro se, & suis successoribus, & vice, & nomine Aquensis Ecclesie recipienti, & stipulanti, & corporaliter ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis juravit se pro dicto Castelletto, & aliis, ut supra, ipsius Domini Electi, & successorum suorum, & Aquensis Ecclesie fidelem esse Vassallum, & pro ipso feudo facere pacem, & guerram pro ipso Domino Electo, dicto nomine, & ejus successoribus, & ipsum Dominum Electum dicto nomine, & Aquensem Ecclesiam <sup>30</sup> contra omnem personam commune collegium, & universitatem defendere, & juvare, nec non bona, & honores ipsius Aquensis Ecclesie, quos nunc habet, & in futurum habebit, manutenere, & salvare, & nunquam esse in facto, dicto, vel consilio, in quo, vel per quod ipse Dominus Electus, vel ejus successores personam, vel membrum amitterent, vel dicta Aquensis Ecclesia bona aliqua, seu honores perdere posset, vel aliquam incurreret <sup>40</sup> læsionem. Consilium, si quod ab ipso Domino Marchione dictus Dominus Electus, vel ejus successores dicto nomine requirerent, fideliter impartiri. Et si quid ipsi Domino Marchioni sub fide, & credentia nomine dictæ Ecclesie commissum fuerit secretum tenere, & nulli pandere, nec per quod pandatur facere sine licentia ipsius Domini committentis, & nihil quod in damnum, vel detrimentum ipsius Domini Electi, vel Aquensis Ecclesie verti posset, committere, vel modo aliquo machinari. <sup>50</sup> Immo si quem, vel quos sciret damnum, vel læsionem contra ipsum Dominum Electum, vel Aquensem Ecclesiam committere, ipso Domino Electo, & suis successoribus nunciare. Et generaliter puram & meram fidelitatem fecit eidem recipienti, ut supra, pro ipso feudo, prout, & secundum quod capitulis novæ, & veteris formæ fidelitatis continetur. Et inde plures cartas fieri præceperunt unius tenoris ad consilium sapientis. Actum in civitate Aquis, scilicet in Ecclesia majori dictæ civitatis in sacristia dictæ Ecclesie, præsentibus nobilibus viris domino Marchione, Comite de Cochonato, Bonifacio de Carreto nepote ejusdem Domini Electi, Sucia

de Tilio, Bertolello de Cerexeto, & Pachino de Carreto de Ponte, testibus ad hæc vocatis, & rogatis. Ego Franciscus Novellus de Tertio, Imperiali auctoritate Notarius, his omnibus interfui, &c.

*Locatio bonorum in Meladio Oddoni*

*M. Ponzoni.*

MCCCXL.

286

**A**nno Domini MCCCXL., Ind. VIII., die 16. novembris actum in Ponto, videlicet in castro dicti loci, præsentibus D. Georgio Mascario, & D. Dominico Mascario jurisperito de Bestagno, Ottobono Bonifacii, Alberto de Carreto, Branchetto Gavanuto, & Belengerio Sartore de Ponto, testibus vocatis, & rogatis, cum castrum, & locus Bestagni Episcopatus Aquensis, postquam R. P. D. Ottobonus de Carreto fuerat electus canonicè in Episcopum Aquensem, detineretur violenter per DD. de Belengeriis de Aquis, & alios forensitos Aquenses contra voluntatem dicti D. Electi, & in evidens periculum Aquensis Ecclesie, & canonicorum Ecclesie prædictæ, ac reliquorum omnium Episcopatus Aquensis, & oportuerit dictum Dominum Electum volentem dictum castrum, & locum redimere, & a manibus dictorum sic retinentium emere, & perducere ad statum pacificum, & tranquillum, multasque quantitates, & summas denariorum mutuo assumere a quampluribus ad redimendum locum prædictum a detentoribus suprascriptis, inter quas pecuniarum summas recepit mutuo a nobili viro D. Oddone Marchione de Ponzono florenos auri, & de Florentia 400. & 20. solummodo occasione prædicta. Ecce quod idem D. Electus, & confirmatus fuit confessus se causa mutui recepisse a dicto Domino Oddone florenos 420. auri boni, & justis ponderis... Pro quibus denariis dictus Dominus Electus per se, & suos successores nomine dictæ Aquensis Ecclesie locavit dicto D. Oddono usque ad annos X. proximos, primo petiam unam terræ in posse Meladii, ubi dicitur Braida Domini Episcopi, cohærens via communis, beale molendini, Ecclesia S. Bartolomæi, Erzeni hortuliorum de plano: item petiam unam terræ jacentem in eodem posse, & loco, cohærens via a duabus partibus, Manfredus de Puteo, & Ioannes Sacchellius. Item petiam unam prati, & plures petias terræ in eodem posse, ubi dicitur Predose, quibus cohærent flumen Erri, flumen Burmidæ, heredes Petri Talamatii, Henricus Roffredus, Belengerius Campanus pro Canonicis majoris Aquensis Ecclesie, item Ergeni Manfredelli de Puteo, Odinus Paolottus de Meladio, Ecclesia S. Dalmiani, &c., item terram de Cornato, & generaliter singulas alias terras, quæ dicuntur esse steriorum XVII. grani annuatim, quæ, & quos eadem Ecclesia habere videtur in posse Meladii... sine eo quod Dominus Electus, vel successores sui, vel aliquis pro eo aliquid habeat, vel recipiat de godiis, vel de fictibus prædictis usque ad X. annos, quo tempore debitum de flor. 420. sit vanum, & solutum &c. Ego Franciscus Novellus de Tertio Notarius &c.